



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 40. Initia historiæ divoortio Henrici VIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

## §. XL.

Sæcul. XVI.  
A.C 1527.*Initia historice de divortio  
Henrici VIII.*

Ineunte hoc anno, vel juxta alios jam ab Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto Henricus VIII. de repudianda Catharina Arragonia ejus conjugis consilium agitare cæperat; Præcipua equidem hujus divortii causa ignoratur, si tamen ipsius Regis verbis fides habenda, Rex specie religionis ducebatur, eo quod jam ab anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quarto dubitasset, utrum connubium cum uxore sua validum esset; verum hæc anxietas tarda nimis fuisse videtur, postquam jam per viginti annos & amplius cum ea assiduam thori societatem conservaverat. Ut ut se res habuerit; id certum est, quod Henricus ab eodem anno conjugii usum Reginae denegaverit. Auxit etiam Tarbiensis Episcopus Regis aversionem, quam itidem Longlandus, qui Henrici conscientiam moderabatur, fovere satagebat, ac denique Volsæus Cardinalis, ut Regem in hoc suo proposito firmaret, nihil non agebat. Hic obscuro loco natus ac lanionis filius non nisi fraudum, & ambitionis suæ subsidio purpuram

*Le Grand.  
hist du divorce de  
Henric.  
VIII. to. I.  
p. 34.*

*Hist de la reforme de  
l'Eglise  
d'Angl. par  
Burnet to. I.  
p. 57.*

*Raynald. an.  
1528. n. 108.  
87 seq.*

*Sanderus de  
schism. Angl.  
l. I.*

*Polyd. Virg.  
l. 27.*

*Harpsfeld.  
in hist. Eccl.  
Angl.*

Sæc. XVI.  
A.C. 1527.

ram aucupabatur, ac primo Lincolnien-  
sis Præsul postea Eboracensis Archi-  
episcopus ac Cardinalis, & denique An-  
gliæ Cancellarius nominabatur; nec  
tamen tot dignitatum amplitudo hujus  
Viri cupiditatem satiare poterat, sed ad  
ipsum etiam summi Pontificatus api-  
cem ascendere ambiebat. His accessit,  
quod sub idem tempus Carolus V. Im-  
perator eidem polliceretur, se nil inten-  
tatum relicturum, ut ad primam totius  
Ecclesiæ Sedem eligeretur; Volsæi e-  
nim opera Cæsari ad exequenda, quæ  
tum temporis animo volutabat consi-  
lia perutilis erat: ast mutata rerum fa-  
cie Carolus haud ultra, quod obtule-  
rat, præstare curabat. Quapropter Vol-  
sæus ira accensus, nihil non age-  
bat, ut Cæsari molestiam crearet, nec  
vindictæ feliciter exequendæ opportu-  
nitas deerat, quam eidem suppeditabat  
Henrici divortium cum Catharina ejus  
conjugæ; cum enim illa Joannæ de Ar-  
ragonia, quæ Caroli V. Mater erat, So-  
ror esset, se abs dubio ipsi etiam Cæsari,  
totique ejus familiæ atrocem omni-  
no injuriam illaturum præsenferat, si il-  
lius Materteram Regiæ dignitatis ho-  
nore exueret.

§. XLI.